

**05
A
1493**

Mea

CU

DIS

A

Max

DN
SS.T

Dno

M.



Mea Hereditas Vitæ Salvator Archangelus!

ΑΓΓΕΛΟΔΙΑΚΟΝΙΑ,

Sive

CUSTODIA AN-
GELORUM
DISPUTATIONE THEOLOGICA

ex Ebr. C. I. v. 14. breviter ostensa,

Quam

DEO ducente & docente,

*ne*c* non*

Autoritate

AMPLISSIMÆ FACULTATIS THEOLOGICÆ

In Alma hac Leucoreâ,

VIRO

Maximè Reverendo, Magnifico, Amplissimo

atq; Excellentissimo,

DN. JOHANNE Deutschmann /
SS. Theol. D. P.P. famigeratissimo, meritissi-

moq; Alumnorum Electoralium Ephoro gravissimo,

Dno. Patrono, Præceptore, & Promotore suo

æterno debitæ devotionis cultu submisse. devenerando,

PRÆSIDENTE,

Placidæ Θεολογίαν ἔξετασ submittit

M. HENRICUS VOLLMARUS, Servestâ Anhalt.

SS. Theol. Stud.

AUTOR & RESPONDENS.

In Acroaterio Theologico

ad d. 5. Octobr. A. d. Ic LXXXII.

Wittenbergæ, Typis Viduæ Augusti Brüningii.





OS A 1493

בָּשֵׁם שְׁמֵי־

ΠΡΟΑΤΑΙΩΝ.

Sedulà ruminazione mecum volventi, ac serio mihi deliberanti, qvamnam impræsentiarum differendi materiam è Sacris eligerem? præ cæteris placuit, perbrevem Dissertatiunculam scribere de ANGELIS, & qvidem ad illius dicti palmarii ductum, qvod habetur Ebr. c. I. Comm. 14. Ansam & occasionem suppeditat nobis cùm materiæ excellentia & suavitas, tum appropinquantans FESTUM MICHAELIS. Hoc jam in Ecclesia primæ solenni festivitate celebratum, & ad hoc usq; tempus in nostris Ecclesiis Orthodoxis usu receptum, non quidem in honorem sanctorum illorum Spirituum religiosum, utpote qvi honor nulli debetur creaturæ; Sed ut sit certum anni tempus, qvò doctrina hæc de ANGELIS in Ecclesiæ nostræ Pomœriis nobis inculcetur, DEUSq; ter opt. Max. publicè laudetur, qvòd tam sedulò, tamq; paternè nostri curam habeat, & nobis in ministerium dedit, & emiserit sanctos suos Angelos eminentes & potentes ministros, pro pīis excubias agentes, nosq; in omnibus viis nostris custodientes. Suavitatem qvod attinet, ea luculenter ex hoc patet, qvod Angeli sint præstantissimum opus inter alia opera à DEO creata & producta, unde vocantur nobilissimæ DEI creaturæ, & principem inter præclaræ manuum DEI opera tenent locum. Majorem namque habent convenientiam, absolutè loquendo, cum DEO, qvam homo, quia sunt spiritus simplices, & esse habent completum ac absolutum, utique ergo præstant

A. 2

COR-

corporibus, & antecellunt hominum animas. Idcirco
locum allegatum, agentem de Angelorum utilissimo nobis officio,
sive custodia laudatissima, penitus paulo considerare, ejusque
occasione doctrinam de A N G E L I S, ea, qvā fieri potest,
brevitate, publicæ disquisitioni subjicere, nunc ad Divini
Numinis honorem, & sanctorum Angelorum laudem in
animum indixi. Sed qvia temporis spatium, quo circum-
scripti fuimus, nimis angustum, & aliorum expediendo-
rum serie concatenatâ satis oneratum, meditationem ob-
jecto tanto dignam minime concessit, veniam satius pete-
re, qvām aliquid magni promittere, è re mea esse duco.
Qvod igitur faustum, fortunatumq; sit, Angelorum Crea-
torem, Dominum Exercituum cœlestium, devotis invoca-
mus precibus, velit studiis nostris ex alto benedicere, suâ-
que gratiâ cœptis nostris clementer & largiter adesse, ut
omnia feliciter succedant, & ad optimum finem, DEO
gloriosum, unicè dirigantur. FIAT!

SECTIO I. PHILOLOGICA.

§. I.

Hac in Sectione de verborum notatione, eorum-
demque vera significatione solicieti erimus, quippe
quæ evolutio vocum maximè est necessaria: sunt
enim vocabula rerum specula, symbola, vel involucra.
Vid. B. Dn. Jac. Martini Libr. Germ. quem speculum ra-
tionis inscripsit. Lib. 2. c. ii. pag. 818. Lib. 2. c. 40. p. III4.
Gerhard. Method. Stud. Theol. p. 46. Magnif. Dn. noster
Calov. in præf. Isagog. ad Stud. Theol. ubi etiam judicium
Novatoris Calixti singulari dexteritate meritò examinat.
Hæc enim prævia vocum evolutio viam parit facilem, ut
in verum & genuinum sensum dicti cuiusvis rectius inqui-
rere, imò felicius penetrare valeamus. Non autem o-
mnia, sed ea tantùm hæc vice sumus examinaturi, quæ ne-
cessariam & fructuosam explicationem mereri videntur.

§. 2. Par.



§. 2. Particula *καὶ* Atticè vim *negandi* possidet, & significat non, ut 1. Cor. X. 29, & 2. Cor. X. 13. Notat etiam nequaquam, Luc. XIII. 3. Sed hoc in loco habet vim *interrogandi*, vehementiusque non ineleganter affirmat, & significat nonne? Sicut & in illo Act. V. 4. ut sensus sit: Omnipotens omnes Angelis sunt Spiritus.

§. 3. *Πάντες*, omnes. *Πᾶς*, *πᾶσα*, *πᾶν*, est vox πολυσύμβολος. 1. Significat universaliter & generaliter omnem, inclusis omnibus speciebus & individuis, nulla nulloque excluso, Ebr. II. 9. Christum mortem gestasse pro omni, nemine excepto. 2. Sumitur totaliter sive pro totus, Matth. XXI. 10. 2. Cor. III. 16. *Πᾶσα γέγονη*, tota Scriptura divinitus inspirata est. Obs. hoc est contra Pontificios, qui in hoc ultimo dicto particulam *πᾶσα* distributivè explicant, cum tamen **כל** & *πᾶς* etiam τῶν ἀλλων respondeant. Vid. Hakspanius Part. 3. Not. Theol. Philol. 3. Distributivè pro singulis generum, ut 1. Tim. II. 4. *Πάντες αὐτῷ πάντες σωθῆναι*, i. e. DEUS vult omnes homines salvari. Beza per *πάντας*, non singulos generum, sed genera singulorum, i. e. hominum status varios intelligit: Sed expositio hæc verbis hisce Paulinis vim infert. Nam Paulus fatetur, quod pro omnibus ac singulis preces fieri debeant, & apponit hanc rationē: quia DEUS vult omnes salvos fieri. Et hoc modo sumitur hic vocabulum *πάντες*, & intelligit Apostolus omnes & singulos tam supremi, quam infimi ordinis angelos bonos. Unde etiam bene ita vertit B. Lutherus: *Allesamt.* 4. Collectivè, pro generibus singulorum. Act. II. 17. legitur, quod DEUS in novissimis diebus, i. e. sub initio N. T. effundere velit Spiritum S. *Ωντὶ πᾶσιν σάρκα*, super omnem carnem, quod recte Thavmasiander Lutherus reddidit: über allerley Menschen / super Judæos & gentes, super Senes & Juvenes. Act. X. 12. 35. c. XIV. 2. 5. Synecdochicè, pro plurima parte hominum. Matth. III. 5. omnem Judæam exivisse ad Johannem; ubi intelligitur maxima pars Judæorum. Vid. Com-

ment. in N. T. B. Schmidii Philologi incomparabilis. Et Rhetor. S. Glassii p. 434. seqq. Qui longè plura significata de hac voce adducunt, eamque fusiūs explicant.

§.4. Nomen ἄγελος descendit απὸ γαγέλων, mittere. Apud Ebraeos vocatur מלאך, missus, nuncius à rad. לְאָךְ, quæ tamen in Ebraeorum hortis, quos V. Test. nobis sistit, non invenitur. Nonnulli מלאך dictum quasi putant מה-לְךָ, quid tibi? i. e. quid novi affers? Alii illud faciunt ab הַלְךָ, abiit, ambulavit, ivit. Quicquid autem sit, sufficit nobis, certos nos esse de hac voce præsenti, quod natales suos debeat Græcis, quibus ἄγελος nuncius est. Notat igitur quemvis missum. Unde Legatus appellatur, alterius vice missus. Hinc ratione Etymi hoc nomen non est naturæ, sed officii, quia significat Legatum, Legati verò nomen est officiale. Quare Episcopus Hippoensis alicubi: Naturam quæris? Spiritus est; officium? Angelus est. Et quia personarum proprium est aliquid annunciare, ideoque Angeli nomen tantum de personis, nunquam de rebus adhiberi solet. Accipitur autem hæc vox multifariam, in primis ejus significationem Script. S. nobis sistit quadruplicem. 1. Ponitur generaliter pro quoque nuncio, sive is fit corporeus ac visibilis, sive incorporeus ac invisibilis, ut i. Reg. XIX. 2. de nuncio Jesabelis, qui erat homo, & mox v. 5. de Angelo DEI, Eliæ cibum afferente. Luc. VII. 18. 24. nominantur Angeli duo illi discipuli, quos Johannes è carcere ad Christum a b legārat. Luc. IX. 52. ubi quoque nuncii à Christo missi ita vocantur, & communiter intelliguntur quilibet nuncio. 2. Singulariter assignatur Angelo increato, Filio DEI. Eccl. IX. 6. Angelo magni consilii, juxta LXX, foederis, qui est Christus, per quem Pater cœlestis locutus est ad Patriarchas in V. T. quemque misit ad redimendum genus humanum, illud ab omni malo ut eriperet, Genes. XLVIII. 16. vocatur יהוָה Exod. III. 4. Cum Mosi appareret in rubo ardenti. Augustinus

de



de Trin. scribit: Per illum Angelum, qui Mosi apparet, rectè intelligitur ipse Salvator. Observatione dignus est locus Hos. XII. 4. 5. Ubi expressè Angelus, cum quo Jacob integrum noctem colluctatus est, Dominus Zebaoth appellatur. Et Act. XXVII. 23. Paulus fatetur dicendo: Astitit mihi hâc nocte Angelus DEI &c. Quæ verba satis indigitant, per Angelum intelligi filium DEI, non verò Angelum creatum, cui cultus religiosus non competit. Id quod notandum contra Novatores, D. Calixtum. D. Horneum. & D. Dreierum. Vid. Harmonia Calixtino-Hæretica Magnif. Dn. Calovii Sect. 3. Conf. B. Geieri *Zeit und Ewigkeit*. part I. p. 77. Dn. D. Pfeifferi dubia vexata. p. 125. seqq. 3. Specialiter notat illas personas, qui funguntur munere Ecclesiastico, ut sunt verbi prætones; qui sunt DEI legati. Es. XXXIII. 7. Angeli pacis. Apoc. II. I. ὁ ἀγγελὸς τοῦ Εὐαγγελίου; aliisque in locis pluribus, & in specie insignitur hoc nomine Johannes Baptista Mal. III. I. Matth. XI. 10. qui ut legatus præmittitur, ut præparet viam Domino. Et tandem 4. Communiter & usitatè accipitur pro Spiritibus creatis, completis, qui ad nunciandum aliquid à DEO mittuntur. Et sic iterum accipitur vel περίων pro bonis Angelis, qui directè mittuntur à Deo, & διεύλεγον pro malis angelis, quibꝝ nonnunquam indirectè, vel judicialiter aliquid à DEO committitur, vel potius permittitur, sicut ex Achabii historia i. Reg. XXII. 21: manifestum. De hac ultima acceptione, quæ περίων talis est, sc. de Angelis bonis nobis hoc loco est sermo. Lege sis Commentariū in Psalmos Davidis Summi Theol. B. Geieri in Ps. 389. Magn. nostr. Calovium Theologum consummatissimum in System. Theol, Tom. 4. in loco de Angelis. Magn. Dr. Præsidem, Patronum ac Præceptorem meum maximum in Methodica repetitione Artie, Schmalkald. Disp. 6. qui inter alia dicit: quod hoc vocabulum etiam usurpetur abusivè, quando Anti-Christus, Rex locustarum vocatur Angelus Abyssi, Apoc. IX. II. ut ex.

collatio-

OPUSCULUM

collatione 2. Thess. II. 3. seq. apparet. Verum illum non à DEO, sed potius ab abyso, vel inferno missum esse affirmat. It: jam laudatum Schmidium in Comment. in N. T. pag. 256. Hi omnes prolixè & eruditè hæc de voce disseruerunt. Verum & hoc impræsentiarum meminisse juvabit, quod Angeli ita accepti, & in Pandectis sacris, & in Patrum scriptis non eadem habeant nomina, sed varient. Dicuntur filii DEI, Job. I. 6. astra matutina, Job. XXXIX. 7. Ventus vel Spiritus, flamma ignis, Psal. CIV. 4. throni, dominationes, potestates, principatus, Col. I. 16. Elohim Ps. XC V. 3. Mahanaim, Gen. XXXII. Currus DEI, Ps. LXVIII. 18. Vigiles sancti, Dan. IV. 13. δυνάτοι ιχνοί robore potentes. Ps. CIII. 20. & in nostro præsenti textu Spiritus, & passim. Vid. Universa Theol. D. Joh. Olearii, p. 395. A Nazianzeno appellantur ἔφοροι τὸ Εὐκλησίας, Inspectores Ecclesiæ. A Theophyl. ἔφοροι ἡμῶν, Inspectores nostri, ab eodem Αὐθεόποιον δημόσιαι, hominum præsides. A Basilio M. δημοτίταις τὸ αὐθεόποιον γένος, Curatores generis humani. A Chrysostomo λειτεργικῷ δυνάμεις, virtutes administratoriæ. Ab Origine φύλακες, custodes. Et quæ habent nomina & Epitheta alia plura, quæ proferre supersedemus.

S. 5. Δειτεργικά, administratorii. Nomen Adject. λειτεργικός, ἦ, ὁ, descendit à præt. verbi λειτεργέω, quod derivatur à λητόν, h. c. δημόσιον publicum, teste Plutarcho. Sustinet autem verbum λειτεργέω duas significationes: 1. Propriam, publicam nempe functionem in Ecclesia obire, & ex mandato injunctum officium præstare, ita sumitur de sacerdotibus V. T. Ebr. X. II. Πᾶς ἱερεὺς ἐξηκε καὶ ἡμέραν λειτεργῶν, omnis Sacerdos assistit quotidiè sacra peragens. Ubi obiter annecto, quod hæc vox in specie de administratione Synaxis usurpata sit in Græca Ecclesia, & idem significavit ac administrare Sacram Cœnam, scilicet celebrare corpus Christi. Dignior enim & sublimior administratio publica in Ecclesia non datur. 2. Impropiam, cum usurpatur de quo-cunque



cunque pietatis officio, uti accipitur, Rom. XV. 27. $\lambda\epsilon\tau\gamma\circ$
 $\gamma\mu\sigma\alpha\iota\tau\alpha\iota\sigma\alpha\mu\kappa\mu\alpha\iota\sigma\alpha$, ministrare in carnibus, h. e. subsidia
pauperibus afferre, & administrare. Substantivum
 $\lambda\epsilon\tau\gamma\circ$ dicitur de ministerio & functione publica, & qui-
dem (α) angelorum hominibus exhibita, qui in hoc cap.
I. 7. Ebr. nominantur $\lambda\epsilon\tau\gamma\circ\iota\Theta\epsilon\mu$, & in textu nostro $\lambda\epsilon\tau\gamma\circ\mu\kappa\alpha\iota\sigma\alpha$
 $\pi\nu\mu\alpha\mu\alpha$, (qua vox nullibi nisi in hoc tantum loco reperi-
tur.) Quo nomine Angeli creati opponuntur Angelo in-
creato, Filio DEI, qui non est talis $\lambda\epsilon\tau\gamma\circ$, quales Angeli
sunt, sed sedet ad dextram DEI Patris, regitque omnia po-
tentissime. (β) Magistratum, qui etiam nomen hoc ge-
runt appellanturque $\lambda\epsilon\tau\gamma\circ\iota\vartheta\epsilon\mu$. Rom. XIII. 6. Sunt enim
ministri DEI, & DEO ministrant, dum nostri curam ge-
runt, & DEI faciunt voluntatem, ut Oecumenius ad hunc
allegatum locum scribit. (γ) Ministrorum Ecclesie, Rom.
XV. 16. $\lambda\epsilon\tau\gamma\circ\iota\vartheta\epsilon\mu\chi\epsilon\mu\mu\mu$, minister Jesu Christi, imò quo-
ties occurrit in N. T. toties est titulus magni honoris &
officii publici. Et significat propriè cum, qui bono publi-
co studiosissime servit, & semper animum ad id intendit,
quoad ejus fieri potest, prodesse omnibus, obesse nemini.
Illa $\lambda\epsilon\tau\gamma\circ\mu\alpha$ autem angelorum respicit vel totum homi-
nem, vel corpus; vel animam; vel fortunas &c. Quare
perquam eleganter & rectissime Megalander noster Lu-
therus eos vocat: **Dienstbare Geister.** Vid. Schmidius in
hunc locum.

§. 6. $\pi\nu\mu\mu\alpha\zeta$, Spiritus. Athanasius putat hanc vo-
cem ex $\pi\alpha\mu$ & $\nu\mu\mu\alpha$ conflatam esse, sic enim scribit: $\pi\nu\mu\mu\alpha$
dicitur, quasi $\pi\alpha\mu\nu\mu\mu\alpha$, omnis nutus, celeriter omni
ex parte inclinatus & commotus. Verum allusionem
potius esse, quam verum hujus vocis Etymon statuendum;
Natales enim suos dicit ex Græco verbo $\pi\mu\omega$, spiro, ut
apud Latinos Spiritus à spirando. Et est vox $\pi\lambda\mu\mu\mu\zeta$. U-
surpat enim i. *Pro Spiritu increato*, qui est DEUS, & sic du-
plici modo sumitur (α) essentialiter, quando de DEO adhi-

B

betur,

betur, Joh. IV. 24. πνεῦμα ὁ θεός. In quibus verbis partes, subjectum & prædicatum, sunt transpositæ. Subjectum est ὁ θεός, prædicatum πνεῦμα. Unde hæc resultat Enunciatio, ὁ θεός πνεῦμα. Id quod docet (α) præfixus Articulus. (β) Ordo substantiarum. (γ) Contextus ita optimè fluens. Et Ebr. XII. 9. DEUS ὁ πατήρ τὸ πνεῦματων. (β) Personaliter, cùm denotat vel Filium DEI, λόγον Patris, sive cum humana natura, ut I. Pet. III. 19. sive cum divina, Ebr. IX. 14. Vel Spiritum S. & quidem sæpiissimè, est enim ipsius nomen proprium, quod ipsi quandoque tribuitur absolute, Joh. I. 32. Vidi πνεῦμα, Spiritum descendenter. Rom. VIII. 16. &c. quandoq; etiam *cum adjectione*, τὸ πνεῦμα ἄγνοι, Matth. I. 18. Matth. XXIX. 19. Joh. VII. 39. Spiritus quidem S. proprie non gaudet nomine, ut Pater, & Filius, quod non nulli ideò factum esse asserunt, quia Spiritus S. commune aliiquid est Patris & Filii, scil. substantialis amor, & lætitia inter Patrem & Filiū: Sed ratio ejus laurienda potius ē charactere hypostatico, quia à Patre & Filio, ceu Spiraculum omnipotentis spiratur. Conf. Annotationes eruditissimæ Magnif. Dn. Præsidis in Hutterum p. 294. seqq. Sumitur etiam πνεῦμα sæpenumerò pro donis Spiritus S. I. Cor. XIV. 32. I. Joh. V. 6. & in locis aliis quamplurimis. 2. Pro Spiritu creato, & sic quoq; varia significat. (α) Hominem nimirum regenitum, Gal. V. 17. (β) Animum, qui est sedes affectuum, Act. XIX. 5. Paulus coarctabatur Spiritu, i.e. animo. (c) Ventum, Joh. III. 8. (d) Angelos bonos, uti hic in textu. οἱ ἀγέλαι πνεῦμα. Et v. 7. DEUS facit τὰς ἀγέλας αὐτὰς πνεῦματά. (e) Angelos malos, qui vocantur πνεῦματα ἀκάρατα, Spiritus immundi, Matth. XII. 43. Marc. I. 23. πνεῦμα ἀθεϊσμός, Luc. XIII. 11. Plura apponere nobis, brevitati studentibus, non licet, qui autem plura in hanc rem facientia desiderat, adeat & legat Schmidii Commentarium in N. Test. p. 637. aliosq;.

§. 7. Eis Διακονία, in ministerium. Διακονία oritur à Διακόνῳ, ministro. Unde Διακόνος, quod vulgo derivant ex Διὰ & κόνις pulvis;

pulvis, aut *κονέω*, festino, quasi Metaphora esset desumpta à cursoribus citò currendo pulverem excitantibus, quia ministri, qui celeriter munus suum expedire cupiunt, pulverem excitare solent; Sed hanc derivationem accuratam non esse, nec formalem, Clarissimus noster Philologus Dn. Stolbergius, Gr. Ling. P.P. celeerrimus in Coll. Msc. demonstrat. Adhibetur verò *Διακονίας* vocabulum in generali & speciali significatione. Generaliter notat officium, & ministerium quoddam Ecclesiasticum. Specialiter autem munus illud, quod Diaconi in distributione Eleemosynarum subibant. Vid. Act. VI. 2. Ubi Diaconorum origo expressè describitur. Hic observ. vocem *Διάκονος* sumi partim latè pro Apostolis, 2. Cor. VI. 4. Eph. III. 7. qui vocantur *Διάκονοι δικαιουμένοι*, 2. Cor. XI. 15. Ab Athanasio *Διάκονοι τῶν ἀληθείας*. Christus vocatur etiam *Διάκονος τοῦ οὐρανοῦ*, Rom. XV. 8. per Enallagen Abstracti pro Concreto, i. e. circumcisorum, quia circumcisus prædicavit. Partim strictè, atque hoc sensu *Διάκονοι* sunt Oeconomi Ecclesiæ, sive Dispensatores bonorum Ecclesiasticorum, qui curam gerunt pauperum, iisdemque magnâ diligentia res ad victum necessarias præbuerunt, quibus hodiè provisores ærariorum respondent. *Διακονία* itaque significat ministerium, vel officium, & assignatur Apostolis, Act. I. 17. Col. IV. 17. Episcopis, 2. Tim. IV. 5. & omnibus Angelis bonis, ut in nostro præsenti tex- tu, quam etiam Psalmista David eis adscribit, Psal. CIII. 20. Quod promtissimi sint executores voluntatis divinæ, promtissimèque faciant, quæ velit Deus.

§. 8. *Ἀποτελέσμα*, qui emittuntur. Componitur ab *ἀπό* & *τελέω*, mitto. Alias notat exhibere, Act. III. 20. *Ἀπο-*
τελέω τὸ προκεκηγυμένον ὑπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ, Exhibuerit eum, qui &c. Dimittere, Marc. XII. 3. *ἀπέτειλεν κενόν*, dimiserunt vacuum. Emittere liberos, Luc. IV. 18. & alia. Hoc loco significat ablegare & mittere cum potestate, & autoritate aliqua. Non igitur Angeli frustra & absolute, sed ex divino man-

dato mittuntur. Hinc dicuntur etiam πνεύματα ἀπεστάλθα
eis πάσου τὸν γῆν, Spiritus missi à DEO in omnem terram,
Apoc. V. 6.

§. 9. Διὰ τὸ μέλλοντα, propter futuros. Verbum μέλλω
habet significationem rei futuræ, vel eventuræ, vel subse-
cuturæ, secundum naturam Infinitivi sequentis; Sed nul-
lo latino propriè exprimi potest. Interim τὸ μέλλειν per
verbum Substantivum esse exprimi solet: Infinitivus vero
sequens per Participium futuri temporis exprimitur, & fa-
cit Periphrasim sequentis verbi, v. g. μέλλει ζητᾶν, quæsiturus
est, Matth. II. 13. & C. XVII. 22. μέλλει ὁ Ἰησοῦς εἰνθρεύειν τὸ βασίλειόν e. s.
χεῖρας εἰνθρεύειν, filius hominis tradendus est &c. Significat
etiam cunctari, ut Act. XXII. 16. νῦν τὸ μέλλειν, nunc quid cun-
ctaris. De significatione & constructione hujus vocis plu-
ra reperies in Commentario Schmidii.

§. 10. κληρονομεῖν, heredem esse. Componitur à no-
mine κλῆρος, quod sortem, patrimonium notat, & verbo
κέμω, tribuo. Significat κληρονομεῖν, sorte distribuere here-
ditatem, sorte obtainere hereditatem. Solebant enim o-
lli hereditates per sortem distribui; uti terra Cananæ
filiis Israëlis promissa est in hereditatem, Matth. V. 5. Re-
ctius & melius reddunt alii: Jure hereditatis possidere,
quam significationem hoc quoque loco habet, quod scil.
pii jure hereditatis possessuri sint salutem; non quidem
ex merito, aut ex merito Angelorum, sed ex hereditaria
possessione, quam Pater æternus ex gratia fidelibus promi-
fit, insimul tamen obœdientiam præceptorum suorum,
tanquam à filiis, requirens. Vid. Comment. Balduini in
Epist. Paul. p. 697. Similem in modum κληρονομίας accipi-
tur pro præmio, sive retributione, pīis à DEO gratis col-
lata, & notat vitam æternam, Ps. LX. 6. Tu dedisti κληρο-
νομίαν, hereditatem, nomen tuum timentibus. Vid. B. Dn.
D. Geierus in h. I. Spiritus S. quoque vocatur ἀρ' αἰτῶν τὸ
κληρονομίας ἡμῶν, Eph. I. 14. Possidebimus ergo aliquando
§. II. Σωτηρίαν, salutem. Originein suam habet à ver-
bo

bo τω̄σεω̄, salvare, salvum facere, ad vitam æternam perdu-
cere. Et quia solus DEUS nos à malis liberare potest,
hinc etiam hæc σω̄ηεία soli gratiæ divinæ non operibus no-
stris adscribenda est. Quid propriè per σω̄ηείαν intelli-
gatur, docent nos sacræ literæ, quanquam eam planè &
plenè describere, nostra humana imbecillitas non per-
mittat. Involvit nempe η σω̄ηεία & bonum privativum,
i. e. liberationem à judicio & damnatione, & bonum po-
sitivum, collationem gloriæ & vitæ æternæ. Vid. Dn.D.
Schmidt in Epist. ad Ebr. pag. 986. Observari huc etiam
potest, quod de nomine σω̄ηεία nonnulli lites moveant, an
rectius Salvator, an Servator reddi possit? Nos eorum
fententiam amplectimur, qui statuunt τὸ σω̄ηείον minus ac-
curatè, imò malè Salvatorem reddi. Plus enim infert
vocabulum Salvatoris, quam Servatoris. Servare enim
militare verbum, & de eo dicitur, qui parcit in bello, quos
cædere poterat. Salvare verò ejus, qui non tantum vitam
donat, sed & meliorem statum addit, felicemque facit. Et
licet aliqui cum Beza, aliisque urgeant, vocem Salvatorem
non esse satis Latinam. Certum tamen est, Augustinum,
Cyprianum, Hieronymum & Lactantium vocabulo Sal-
vatoris usos fuisse. Reddituretiam passim Σω̄ηείον in sacris
Salvator, ut 2. Sam. XXII. 2. Robur meum & Salvator meus.
Job. XIII. 16. ipse erit Salvator meus. Es. VII. 10. Of. XIII. 4.
Mich. VII. 7.

Analysin vocabulorum Grammaticam satis, ut puto,
sufficientem excipiat nunc ordine

SECTIO II. THEOLOGICA.

I. ΕΞΗΓΗΜΑ.

S. I. **U**T eò facilior nobis aditus ad ipsam textus explica-
tionem præparetur, de scopo præsentis nostri dicti
pauca quædam præmittenda veniunt. Nempe Aposto-
lus docet in hoc cap. DEUM Patrem multis vicibus, mul-
tisque

tisque modis doctrinam N. T. revelasse Patribus, quibus locutus est in Prophetis, tandem ultimis diebus suam voluntatem nobis manifestasse per Angelum increatum, Filium suum, non hominem nudum & Prophetam, ut in V. T. communiter factum erat, sed ipsum substantialem Filium suum, cuius prærogativam præ Angelis, & omnibus aliis creaturis recenset, ipsumque super omnem Angelorum sublimitatem extollit; eum verum DEUM & verum hominem esse, constitutum super omnia, evectum ad dextram DEI, nomenque eminentissimum consecutum. Et quidem describit in specie Apostolus officium Angelorum tum *negativè* tum *affirmativè*. *Negativè* in versu antec. quod nim. eorum officium non sit sedere ad dextram DEI, vel dominari s. dominium divinum infinitæ virtutis exercere, ad quod Christus secundum carnem est exaltatus. *Affirmativè* in hoc præsenti ult. quod sit officium ministrandi. Hoc ut jam explicemus expendenda nobis erit

§. 2. I. Angelorum Existentia, quam insinuat in nostro T. Apostolus verbo Substantivo *ānī*. Nam unumquodque dum est, necesse est esse, docente Aristotele. Et utitur hoc loco emphaticè formâ interrogationis, ut eò fortius ac vehementius affirmet, & ostendat, jam tum in V.T. hinc inde Angelorum existentiam esse sufficientissimè declaratam. Sensus interrogationis est: Nonne se ita res habet? Nonne certò sunt Angeli? omnino sunt, omnino dantur Angeli, aliter si quis novit, edifferat. Ethæc Angelorum existentia patet etiam ex aliis disertis dictis, Psal. CIV. 4. commemorat David magna DEI opera, ad quæ etiam Angeli pertinent. Et statim Gen. III. 24. mentio fit Cherubinorum, vel potius Cheruborum, uti B. Mercerus in cap. III. Gen. p. 140. ad Ebræam respiciens linguam appellare maluit, per quos intelliguntur Angeli. Ubi tamen notamus, vocem Cherubim vel ipsos notare Angelos in certa visibili specie apparentes, vel duntaxat eorum figura-

ras



ras pingendo, scalpendoque expressas. Vid. oratio B. Bal-
thas. Meisn. de Cherubinis, quibus Studiosi debent esse si-
miles. p. 28. Similiter Col. I. 16. Paulus agit de creatione
propriè sic dicta, & creaturas in suas classes distinguit, fa-
ciens aliquas visibles, alias invisibles, per quas intelligit
Angelos. Deinde Angelorum existentia constat ex ma-
nifestis exemplis. Apparuerunt enim Viris sanctis in V.
T. ut Abrahamo, Gen. XIIII. 1. seq. Lothro, Gen. XIX. 1. E-
liæ, 1. Reg. XIX. 5. seqq. Esaiæ, Es. VI. 6. Visi etiam sunt in
N. T. ab ipsissima veritate Salvatore nostro. Matth. IV. 11.
a mulieribus Christum ungere cupientibus, Matth. XXIIX.
5. &c. Et quamvis hoc luce mèridiana clarius sit, tamen in
dubium vocârunt Angelorum existentiam olim Sadducæi
referente Lucâ, Act. XXIII. 8. eos non credidisse existere
Angelos. Huic falsæ opinioni assentiuntur Epicuréi, Li-
bertini, aliique Fanatici. Sed eos totò cœlo errare inno-
tescit ex antè citatis Script. locis. Urgere quidem nonul-
li solent: Quod Moses in hist. creationis explicitam An-
gelorum mentionem non faciat, sed hoc citra dubium fe-
cisset, si DEUS Angelos in creatione produxisset. Ad hoc
dubium Veteres duas proferunt rationes: (1.) Mosen so-
lummodo rerum visibilium creationem commemoran-
dam sibi proposuisse, eum in fine, ut exinde *τὰ αἰεῖτα* § Θεῶν
disceremus, & ut ad vulgi captum se accommodaret. (2.) Ideò factum id esse à Mose, ne Judæis, ad Idololatriam pro-
clivibus, fenestram aperiret, quæ tamen ratio nullius vi-
detur esse ponderis. Nos ex mente Orthodoxorum hanc
adjicimus rationem: Posito, sed non concesso, Mosen in
hist. creationis de Angelorum existentia mentionem fe-
cisse prorsus nullam, sufficit, quod eam alia loca, quam
plurima satis superque probent atque confirmant. Moses
etiam Angelorum mentionem non prorsus intermisit,
cum cœlos unā cum omni suo exercitu completos esse af-
ferat. Verum queritur h. l. an etiam ex lumine naturæ

Angæ



Angelorum existentia probari queat? Resp. dist. inter argumenta probabilia & apodictica. Vid. Magnif. Dn. D. Schertz. Syst. Theol. p. 95. A probabilitate convenientiae ad veritatem existentiae N. V. C. Scrupulosi quoque nonnulli sunt de tempore creationis Angelorum: De quo magnus est dissensus inter eruditos. Statuunt quidam, Angelos fuisse à DEO ante mundi secula & ab æterno creatos. Alii, eos esse quidem ante mundum creatos, sed non ab æterno, verum paulò ante Hexaëmeron. Verum enim verò has sententias longissimè à veritatis tramite abludere viri Orthodoxi luculenter demonstrarunt, nec opus est tædiosè id repetere. Ante creationem enim creatio facta est nulla. Vid. Syst. Theol. Magnif. Calovii, T. 4. p. 40. Magn. Dn. Præses in Method. Rep. de Angelis, B. Kromayerus in Theol. Pos. Pol. p. 286. Scrupulosius nonnulli scrutantur diem, quō creati sint? Sed rursus dissentunt. Alii enim Angelos volunt esse conditos secundo die, quia statim post creationem aliqui à DEO essent prolapsi, inde etiam Mosen in Descriptione illius diei non apposuisse hanc approbationem: Vedit DEUS, quod esset bonum. Sed hæc levis tantum conjectura est, nec fidem meretur. De coeteris diebus Vid. Magnif. Dn. Præsidis Exegesis in Hutt. Alii volunt tutissimum esse ἐπίχειρον de certo die productionis Angelorum, quia Script. hac de re nihil certi Εἰπόντων statuit. Omnium probabilissima sententia videtur hæc esse, quam tales esse putat B. Chemnitius in Quæst. ad Gen. B. Hutterus in LL. CC. Magn. noster Calovius. Angelos productos esse statim cum luce primi diei; comparantur enim in S. Lit. cum luce, & probabiliter idem etiam conjicitur ex Job. XXXIX. 7. Ubi DEUS asserit: Se ab astris matutinis, & filiis DEI laudatum fuisse, cùm bases terræ poneret: quod primo creationis die factum esse, nonnulli censem. Per astra itaq; non intelligi possunt cœli sidera, quia hæc quartâ die demum sunt creata. Certum quoq;
hoc

hoc est, Angelos ante hominem esse creatos. Quam sententiam etiam Epiphanius arripit, dicitque Hæresi LXV. p. 264. Firmamentum cœli, & terræ, & Angeli simul cum his facti sunt; nisi enim simul cum cœlo & terra etiam Angeli fuissent creati, non dixisset DEUS ad Jobum: Cum facta fuissent astra, omnes me Angeli mei voce laudarunt. Et pag. 541. Primo die creavit DEUS superiores cœlos, spiritus ministrantes coram ipso. Interim non est Articulus fidei. Vid. Hakspan. Not. Phil. Theol. P. I. pag. 872. D. Schmidius in Colleg. Bibl. P. prior. p. 199.

§. 3. Angelorum essentia. Eam complectitur Paulus in his verbis: Angeli sunt Spiritus. Spiritus dicuntur propter spiritualem essentiam, puram illam, materiæ & formæ expertem. Accuratam eorum Definitionem exhibet nobis præ cæteris Theologia Positiva (s. Compendium Syst. Theol.) ante aliquot hebdomades saltem in lucem edita à Magn. Dn. nostro Calvio, pag. 222. Quæ sic se habet: Angeli sunt substantiæ spirituales, completæ, à DEO creatæ, ut DEUM celebrent, eique interviant. *Conceptus contrahibilis, s. genericus est substantia, ratio est*, quia per se, tanquam veræ substantiæ subsistunt, & sunt singularia *ἰδιαὶ μέρη*, ut docent non tantum opera, sed & attributa personalia, v.g. velle, intelligere, variare suam præsentiam, de loco in locum movere &c. *Conceptus contrahens, s. differentia est substantia spiritualis*, & sic distinguuntur à reliquis substantiis corporeis: intelligitur autem spiritualitas & finita, & completa, & sic distinguitur ab aliis substantiis spiritualibus, quâ ratione differentia p. DEUM, p. animam rationalem respicit. Nam DEUS etiam est Spiritus, Joh. IV. 24. Sed ab hoc Spiritu distinguuntur Angeli finitate, Deus etenim est substantia spiritualis, increata, infinita. Angelus autem substantia spiritualis creata, finita. Distinguuntur quoque ab anima rationali. Sunt enim substantiæ spirituales completæ, anima verò nostra est substantia spiritualis

C

spiritualis



malis incompleta, corpori ordinariē unita. Recte itaque
infertur, Angelos esse Spiritū incorporeos, ut clara Script.
loca manifestant, inter quæ omnino eminet dictum no-
strum clarissimum, in quo asseritur, quod Angelī sīt
~~meū pātē~~, quod vocabulum h. l. ejusmodi indicat substanc-
tiā, quæ contradistinguit corporib⁹ naturalib⁹. Tri-
buuntur quidem corpora sāpē Angelis, quando eis in S.
Lit. assignantur membra humana, os, aures, manus, pe-
des &c. Unde etiam Vorstius ait, sibi plus quam verisimile
videri, Angelos esse corporeos, cui sententiæ etiam Buca-
nus, Zanchius, aliquique favent, eamque fovent. Vid. Dn. D.
Schertz. Syst. Theol. p. 97. Verū quando Script. S. ta-
lia humana membra Angelis tribuit, fit hoc non propriè,
sed Metaphoricè tantū, & propter peculiarem ~~oīxovouſar~~,
non verò propter ~~gīar~~, & naturalem conditionem. A mul-
tis etiam sāpiūs sub forma corporea conspecti fuere, sed
corpora ista Angelis non fuerunt essentialia, sed tantū
accidentalia, non propria, sed ad divinam legationem
communicata, non interna, sed externa, non perpetua, sed
temporaria, non constitutiva, sed ad certum ministerium
consecutiva. Probè itaque dist. est inter corpora natura-
lia, ad integratatem speciei pertinentia, & inter corpora
ad tempus assūpta, vel legationis, vel apparitionis gratia,
hæc corpora, non illa, competunt Angelis. Corpora illa,
quæ Angelī ad tempus ~~ωδεταίνως~~, non ~~ωσατηνώς~~ assūmē-
runt, formæ tantum assistentes, & motum largientes, non
informantes fuerunt. Excipere solent Adversarii, ubi cor-
pora ista maneant, quando Angelī, expeditis officiis, di-
spareant? Resp. Si corpora illa virtute omnipotentis
DEI ex nihilo sunt, in nihilum iterum potentia divinā re-
diguntur; si autem ex aliqua præexistente materia forma-
ta sunt, resolvuntur iterum in eandem. Regerunt por-
rò, corpora illa assūpta non fuisse verè vitalia, sed mortua,
quia materia illa mortua fuit. Respond. negando il-
lud;

Iud; nam licet corpora hæc assumta non vivificata sunt ab anima, tamen virtute angelicâ ita comparata, ut apta sint nata, per quæ locutionem, gressus, & similia opera expedienda exerceant. Legitur etiam eos comedisse, Genes. XVIII. 8. Unde concludunt, eos habere vera corpora. Sed dist. est inter manductionem factam ex necessitate, & indigentia, & factam ex libertate, non illo, sed hoc modo manducabant. Verum ultraius instant: Ubi talis cibus, quem comederunt, manserit? Respond. cibum assumtum ab Angelis non conversum esse in chylum, ex chylo in sanguinem, ex sanguine in substantiam, ut apud reliquas creaturas, sed cibum comestum quasi ab igne, seu virtute, consumptum fuisse.

§. 4. Finis Angelorum duplex est, alius respectu DEI, ut cum, tanquam creatorem suum, pro beneficiis sibi & hominibus largiter collatis jugiter & indesinenter celebrent, eique inserviant, id quod satis liquet ex illo Trisagio, Esa. VI. 3. Alius est respectu hominum, ut eos custodiant, hinc videbimus ex nostro T.

§. 5. III. Eorum opera. Quæ Paulus complectitur in his verbis: λειτεγικαὶ εἰς διακονίαν διατέλομοι. Sunt Spiritus administratorii. Per quam λειτεγικαὶ denotatur ministerium, dominio oppositum, adeoque servile. Ex quo etiam Angeli servi DEI vocantur, & ipse Angelus ad Iohannem: Conservus, inquit, tuus sum, Apoc. XIX. 10. Serviunt & ministrant autem tum DEO, tum Christo, sedenti ad dextram DEI Patris, de quo loquitur Apostolus v. præc. Denique serviunt fidelibus Christianis, ut appareat ex Act. V. 19. c. XII. 7. Sunt enim διατέλομοι εἰς διακονίαν, non simpliciter missi in ministerium, sed emissi, & emandati, ut id ipsum interpretes verterunt. Dan. VII. 10. ministrare, & assistere dicuntur, sed hoc sensu, ut assistant servitii causa, & assistendo ministrent, ut, cùm ad obsequium emittuntur, semper sint expediti, & prompti. Hinc recte Partici-

pium hoc per præsens in fonte est redditum, ut continuum
Angelorum ministerium indicetur, quod tamdiu duret,
quamdiu durat præsens hoc seculum, donec electi heredi-
tam salutis accipient. Vid. Bibl. Illustr. Magn. Calovii in
h. l. Vulgata reddidit in præterito, quod tamen etiam in
bonum sensum interpretari possumus, ut operose fecit
Justinianus. Mittens quinam sit, tum ex oppositione, tum
ex sequentibus verbis patet, quod sit ipse Christus, subji-
ciens sibi hostes suos. Talem enim struit oppositionem:
donec ponam inimicos tuos. Quæ vult, ut sequenti mo-
do accipiamus: Nonne omnes sunt Spiritus administra-
torii, qui mittuntur à Christo, qui Dominus factus est ad
ponendum inimicos suos sibi scabellum pedum suorum?
Verba quoq; sequentia demonstrant, quod mittantur pro
bono, & salute salvandorum. Mittuntur igitur ab eo, qui
salvandorum salutem curat, h. e. Christo. Et quidem *εἰς διανοίαν* in ministerium. Alia missio est æqualis, vel æqui-
parantiæ, ut Filius DEI, Patri æqualis, à Patre missus est in
mundum. Alia est inæqualis, vel disquiparantiæ respi-
ciens inferiorem. Similiter mittitur aliquis vel per ori-
ginem, ut Christus, vel per imperium, ut Angeli. Itaque
Apostolus vult dicere: Angelos mitti non in qualitate Re-
demtoris, quæ potius æqualem mittenti, quam inferio-
rem mittente arguit, sed ut præstent ministerium, s. in qua-
litate ministrorum, & custodum. Vid. Comment. accura-
tissimus Dn. D. Schmidii in h.l. Respicit ergo *Ἄγγελοδιανοίας*
vitæ humanæ ingressum, progressum, & egressum. Et est
accuratissima custodia, ceu luculenter promissa est in Ps.
XCI. ii. Portabunt te in manibus tuis. Custodiunt pios in
itineribus, ut Jacobum, erant enim ipsius comites, Genes.
XXXII.3. Custodiunt captivos, eduxerunt enim Petrum ex
carcere, Act. XII. 7. Ad sunt piis in periculo aquarum, Act.
XXVII.23. Adstant sanctis in periculo pestis, ut Davidi, 2.
Sam. **XXIV.** Et quemadmodum muri civitatis circumdu-
cti

cti, omni ex parte præstant tutelam, velut Exeubitores & milites præfidiarii arcet, & propulsant hostiles insultus: sic etiam Angeli nos præmuniunt à fronte, & à tergo custodiunt, & nihil utrinque incustoditum relinquunt. Sunt proinde Spiritus promtissimi in nostri ministerio, de cœlo descendunt, & ascendunt iterum, ut nobis inserviant, descendunt, ut nobis adsint in terris, ascendunt, ut nos secum adducant in cœlum, & animas nostras deportent in sinum Abrahæ, Luc. XVI. 22. Posset quidem DEUS, secundum potentiam suam infinitam, custodire homines sine Angelorum auxilio & præsidio, sed sicut alioquin per causas secundas, & cum causis secundis agit, & operatur, sic etiam ei placuit homines custodire per suos sanctos Angelos, qui tamen longè nobiliores sunt nobis hominibus. Exinde resultat immensa & imperscrutabilis DEI bonitas, ipsiusque charitas, quam habet erga suas creaturas, & maxime erga homines fideles.

§. 6. IV. Verum deveniendum est tandem ad Angelorum fructus, sive effectus, sive quem in finem mittantur? Eum innuit Paulus in his ultimis verbis: Διὰ τὸ μέλλοντας κληρονομεῖν σωτηρίαν. Est igitur finis: sive in quorum comodum hoc servitium Angelorum suscipitur, sunt homines salutis æternæ hereditatem adepturi. Ministrant verò Angeli in hoc negotio salutis nostræ, non quidem ut Domini, quod de Christo affirmatur, sed ut ministri Dei. Interim hoc non exclusivè accipiendum, quasi Angeli tantum in ministerio occupati sint circa salutem electorum, sed inclusivè ab Apostolo dicitur, ut is sit sensus, quod ex omnibus eorum officiis hoc unicum sit præcipuum, nempe allegatio in ministerium propter eos, qui salutem æternam sunt consecuturi. Reliqua officia jam subintelliguntur sub ministerio, quod complectitur omne id, quod heredibus illis prodesse, vel obesse potest. Ex quo patet, Scripturam S. Agiæ odianoviam ferè ad pios tantum & fideles restringere, ut h. l. & ita Psal. XXXIV, g. XCI, 9. infidelibus verò juxta ac impiis hujus beneficii vix ac ne vix quidem spem facere. Interim probè dist. est inter personam, & officium. Et in hac significatione intelligimus verba B. Lutheri Tom. 4. Jen. Germ. Also hat ein ieglicher Räyser /

König/Fürst/Herr/ ja ein jeglicher Mensch selnen Engel / es sey der Kaiser/oder sein Kaiserthum/ Christen oder nicht. Denn es ist ein äußerliches Amt/ welches sie beydes an den Frommen und Bösen üben / weil beyde fromme und böse Gottes Creaturen sind von ihm geschaffen. Vid. plura in Bibl. Illustre. Summè Rev. Calovii in h. l. Sequuntur nunc

II. ZTHMATA.

I. Quæst. An Διακονία sive ministerium competit tantum aliquibus, an verò omnibus in genere Angelis?

R. Quod si antiquitatem consulimus, deprehendimus, quod Philosoph. nonnulli Veteres statuerint, aliquos Angelos non missos esse ad ministeria, sed eos semper Deo assistere. Scaliger existimavit exerc. 359. Sect. 8. Angelos habere tres classes, quibus singulis tribuit officia. In prima classe esse quosdam, qui assistunt, in secunda, quosdam esse, qui ministrant, in tertia, qui orbes movent. Verum in Script. S. de his classibus, & imprimis de motione orbium, ne γενι
quidem extat: potius testatur, ministeria Angelis esse communia, & tribuit assistere & ministrare omnibus Angelis, non tantum quibusdam. Textus noster facit rem planam & claram, qui τὸ γένος
dicit: Omnes Angeli sunt Sp. administratorii. Sit autem quidam ministrant, contradicitur huic textui. Comparisonem enim instituit cum Christo & omnibus Angelis, & demonstrat, Christum esse superiorem Angelis, hos verò omnes ab ipso missos esse in ministeria. Tob. XII, 15. Apoc. II, 1. refertur, septem Angelos stare coram Deo, sed hoc non intelligendum est exclusive, quasi coram Deo adstantes non mitterentur ad ministeria, sed inclusivè & Synecdochice numerus certus ponitur pro incerto, & numerus septenarius, qui est sanctus & perfectus, continet totam universitatem Angelorum, quia omnes Deo liberè obediunt, & expediunt mandata ejus. Vid. Gerhard. in Disp. Isag. doctissimis, loc. 7. §. 16.

Quæst. 2. An cuilibet homini, pietati dedito, certus, & peculiaris à Deo sit assignatus custos?

R. Antiquam hanc esse quæstionem exinde patet, quia affirmativam tenent multi Doctor. Vet. Basilius M. dicit: Singulis fidelium adesse Angelum. Chrysostomus scribit: Ab initio pro numero gentium erant Angelii, nunc verò non pro numero gentium, sed pro numero fidelium; Quilibet enim fidelis habet Angelum suum.

Lom-

Lombardus: Angeli boni deputati sunt ad custodiam hominum, ita ut quisque electorum habeat Angelum in custodiam datum. Hodiè adhuc propugnant hanc doctrinam Pontificii. Svarezius Lib. 6. c. 17. n. 8. assertionem vocat Catholicam singulis hominibus ab ortu Nativitatis suæ singulos Angelos ad custodiam esse depuratos, adeò ut sine ingenti temeritate, ac ferè errore, negari non possit. Saniores autem Theologi docent, singulis electis, singulos Angelos præsidii causa adjunctos esse, modò unum, modò plures, prout nim. Deo visum fuerit, ceu calculo suo comprobat certissima oraculorum divinorum veritas, Ps. XCI, 11. pro autoritate Deus imperavit. τοιχίῳ Angelis suis, hominem pium in manibus ut gestarent. Vid. Es. LXVI, 23. Lue. XVI, 22. non unus tantum, sed plures Angeli deportant unam Lazari animam in sinum Abrahæ. Sat is insuper evidenter ex nostro appetet. T. multos Angelos esse missos in ministerium electorum. Et sicuti plures diaboli uni homini insidias struunt, Marc. V, 9. ita etiam plures Angelos pro uno pietati dedito contra vim Satanæ pugnare quis dubitaret. Theander ille Lutherus dicit Tom. IV. Jen. Wenn die Seele ausfähret / so stehet es voller Engel umher / daß sie Gott dem Allerhöchsten die Seele in den Schoß tragen. Vid. Syst. Theol. Magn. Calovii Colleg. Theol. MSC. Magn. Dn. Quenstedii, quod jam sub prelo sudat, th. 9.

Quæst. 3. An pro illa Diaconia cultu religioso sint prosequendi ?


Resp. Ajentem sententiam propugnant Pontificii, communiter contendentes, Angelos olim in V. T. rectè adoratos, & adhuc hodiè adorandos, cultuque religioso afficiendos esse, non tantum in Lytaniis publicis Angelos invocant S. Michael, S. Gabriel, S. Raphael ora pro nobis, sed etiam ad peculiares Angelos, peculiares preces dirigunt, ut, summi Regis Archangеле Michael intende, quæsumus, nostris precibus , te namque profitemur esse supremum civium supernorum Principem, omnes cives te adorant superni, &c. Sed nos πνέογελαξ inficiamur, non enim habemus mandatum divinum, nec exauditionis promissum, nec approbatum exemplum in S. Lit. Et prorsus excluduntur Angeli ab obiecto cultus divini, Matth. VI, 10. quid? quod ipsimet hanc adorationem, quam alii ipsis tribuunt, serio rejiciant, accipim⁹ Ap. XIX, 10.

C. XXII.



c. XXII, 9. Distinguere quidem solent Pontificii in suis Scholis inter
λατρείαν, quam Deo, διαλείαν, quam Angelis, & ὑπερδιάλείαν, quam vir-
gini Mariæ, & humanæ Christi naturæ tribuunt. Verùm hæc distin-
ctio quâ rem, quâ voces, extra, præter & contra Scripturam conficta,
& excogitata est, ut loquitur Magn. noster Quenstedius in Coll.
Theol. loc. 6. th. 10. Patres quidem λατρείαν soli Deo tribuunt, ea
tamen, quæ à Pontificiis facta est distinctio inter λατρείαν & διαλεί-
αν apud nullum reperitur. Nam quando verbis exprimunt cultum
divinum etiam usurpant λαλένειν & διαλένειν, ut & sanctissimi Novi
fœderis autores, qui promiscuè, & sine discrimine λαλένειν & διαλέ-
νειν Deo assignant, Matth. VI, 24. Luc. XVI, 3. Act. XX, 19. conf.
Dni. D. Scherzeri Brev. Theol. p. 33. Et proinde διαλεία religiosa,
non minus ac λατρεία solius Dei est propria, cum qua nihil commer-
cii habet virgo Θεολόγη, nihil Angeli, nihil sancti homines. Manet
itaq; hæc sententia αὐτίνη ἡγή αὐτίνη, Angelos non esse adoran-
dos. Nos his ita explicatis potius Deum Ter opt. Terque Summum
invocamus, ut Angelum interfectorem à nostris provinciis longis-
simè abesse jubeat, & arceat, & sanctos suos Angelos nobis semper
mittat, ut sint nostri vigiles, & custodes, pro quibus, aliisque
beneficiis sit

SOLI DEO GLORIA.



05 A A693

ULB Halle
003 778 037


3



10/17



Farbkarte #13



Mea Hereditas Vitæ Salvator Archangelus!

ΑΓΓΕΛΟΔΙΑΚΟΝΙΑ,

Sive

CUSTODIA AN-
GELORUM
DISPUTATIONE THEOLOGICA

ex Ebr. C. I. v. 14. breviter ostensa,

Quam

DEO ducente & docente,

ne et non

Autoritate

AMPLISSIMÆ FACULTATIS THEOLOGICÆ

In Alma hac Leucoreâ,

VIRO

Maximè Reverendo, Magnifico, Amplissimo

atq; Excellentissimo,

DN. JOHANNE Deutschmann /
SS. Theol. D. P.P. famigeratissimo, meritissi-

moq; Alumnorum Electoralium Ephoro gravissimo,

Dno. Patrono, Præceptore, & Promotore suo

aeterno debitæ devotionis cultu submisse. devenerando,

PRÆSIDENTE,

Placidæ Θεολογίαν εξετάσει submittit

M. HENRICUS VOLLMARUS, Servestâ Anhalt.

SS. Theol. Stud.

AUTOR & RESPONDENS.

In Acroaterio Theologico

ad d. 5. Octobr. A. d. Ic LXXXII.

Wittenbergæ, Typis Viduæ Augusti Brünningii.